

mis in omnibus agnoscit febribus, facit, ut ejusmodi fervida effluvia in massam regredi sanguineam cogantur. Hinc turgescens sanguis quasi accenditur.

**ÆTAS** juvenilis accusatur præ reliquis, rarò senilis, cum illorum corpora calidis flagrent humoribus, æstivali præsertim tempore, quòd in eorum venis corrupta & accensa bilis exardescat, subitò febribus ardentibus, cholera, dysenteriâ, &c. corripiuntur.

**SEXUS** disponit etiam ad febres. Mulieres aliàs non similiter, ut viri, morbis corripiuntur juxta *Hippocratem*. **GENUS FOEMININUM**, cum calore acri, cujus ope humores generat calidos, vel per accidens, cum natura non ritè faciat officium in expellendis mensibus, æquè ac **MASCULINUM**, subjectum est huic tyrannidi.

## CAPUT XV.

### de rebus non-naturalibus.

*Ἀλλοιῦται τὸ σῶμα πρὸς μὲν ἕνωσιν ἐξ ἀνάγκης, πρὸς δὲ ἕνωσιν ἕνωσιν ἐξ ἀνάγκης. Alteratur corpus nostrum à nonnullis quidem necessariò, à quibusdam non necessariò, inquit Galenus in arte medicinali cap. 85.*

*Τὰ ἐξ ἀνάγκης ἀλλοιῦνται τὸ σῶμα, ex necessitate corpus alterantia SEX numerat, à medicis RES NON-NATURALES appellata, ὑπὸ τῶν γὰρ ἀπάντων ἀνάγκη τὸ σῶμα ἀλλοιῦναι πῶς ex quibus necesse est, aliquò modò ladi & adfici corpus.*

**AER**, quem Galenus citatò locò ἐξ ἀνάγκης, necessarium vocat, ὅτι ἀδύνατον αὐτῷ μὴ πλησιάζειν, quia eum evitare est impossibile, **CALIDUS** & **SICCUS** potentissimè productionem febrium promovet tum primis, tum secundis qualitatibus.

**MODUS**, quò aër calidus corpus afficiat, à Galeno 1. de differentiis febrium cap. 4. ubi de generatione pestis loquitur, duplex proponitur: εἰσπνοὴ καὶ πείχουσις, circumfusio & inspiratio. Utraque hinc habet locum.

**INSPIRATIONE** attrahitur in pulmones; **CIRCUMFUSIONE**